



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 31. Franciscanorum reformatio ab Archiepiscopo Toletano suscepta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

§. XXXI.

Sæcul. XV.
A.C. 1498.*Franciscanorum reformatio ab Archiepiscopo Toletano suscepta.*

Rebus in Arragonia ita dispositis, Archiepiscopus ad pristinam Ordinis S. Francisci disciplinam in utroque regno revocandam serio animum adjecit, præcipue vero curas omnes eo intendit, ut Fratres Minores, quos Conventuales vocant, Fratribus Observantibus aggregaret, ea lege, ut Conventualium domus censibus suis privarentur, ac religiosi Regulæ austeritatibus subjicerentur: quoniam vero iidem, cum huic instituto nomen darent, ad severiorem ejusmodi disciplinam sese obstringere haud intendissent, hinc cuncti Fratres Minores ad nudum reformationis nomen fremere, Ximenii famam omnibus modis dilacerare, Virumque Reginae, apud quam Archiepiscopus gratia plurimum pollebat, invisum reddere nitebantur. Verum a deo spe sua frustrabantur, ut etiam Regina polliceretur, se auctoritate Regia Romæ summum Pontificem sollicitaturam, ut Ximenio ad hoc negotium necessaria expedirentur mandata, nec id quod pollicebatur Regina, effectu caruit. Ast supremus FF. Minorum Minister Pontificem adiit, exponens, Ordinem suum

R 3

suum

Sæcul. XV. suum ob plures sensim irrepentes abusus
A.C. 1498. mature tollendos ad vetera instituta omnino revocandum esse, se tamen rogare, ut id negotii non alteri, quam sibi metipsum concederetur. Papa dilaudato Viri consilio, ut ipse Hispaniam adiret, ejus reliquit arbitrio, simulque necessaria ad ejusmodi munus diplomata expediri iussit.

§. XXXII.

Reformationis obstacula Ximenio opposita.

Isabella sub idem tempus Oratorem ex Hispania Romam ablegabat, qui a summo Pontifice collapsam FF. Minorum disciplinam restaurandi provinciam pro Ximenio impetraret. Orator intelligens, hoc negotium a Papa jamjam commissum esse Generali FF. Minorum Ministro, illumque proxime in Hispaniam profecturum, de tota rei serie Reginam edocet. Hæc rei novitatem summopere miratur: Interea Præpositus Reginam audire haud veritus, per summam imprudentiam plurima adversus Ximenium coram illa declamare non dubitabat. Reginam Viri petulantiam indignata, concitatiore voce interrogabat, *an quæ diceret, & quacum loqueretur, intelligeret?* ad hæc ille acerbius irritatus, *satis, inquit, sanus sum,*